

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Unde Melissa ad nos aduolat?*



Cum in hoc fasciculo inter alia agatur de Aegypto, facere non possumus quin ostendamus hanc nostram Melissam, quam videre soletis delineatam. Nam eam assumpsimus ex hoc hieroglypho, in quo conspicitur apis (signum Aegypti inferioris) et arundo (signum Aegypti superioris). (Photographema Thebis factum)

... *ex Africa, unde nuntios affert de Zaire*

☞ p. 2

... *ex Aegypto, ubi aqua est problema sempiternum*

☞ p. 4

... *ex America magis magisque Latina*

☞ p. 5

... *e septimo decimo saeculo, quo Lispius vita functus est*

☞ p. 6

... *e Corea, unde fabula nobis allata est*

☞ p. 9

... *ex antiquitate, cuius mores explicantur*

☞ p. 12

... *undique! Nam undique afferuntur novi libri, novi nuntii, novi textus a discipulis conscripti, et ...*

☞ p. 14

... *et tam multi conventus Latini, ut Latinistis nihil participantibus nulla excusatio esse possit!*

☞ p. 16

# NUNTII DE ZAIRE

SCRIPSIT IOHANNES MARIA LECOMTE S.I.

**Q**uamquam multa cottidie de rebus Zairianis in suis diariis lectores Melissae legere possunt, mihi tamen placet, eorum venia, de iisdem quaedam scribere. Ut omnes iam certiores sunt facti, condiciones huius regionis in peius sunt mutatae, cum vicini orientales, scilicet Ruandani Ugandanique, Zairianis quibusdam rebellibus opem ferentes, regionis confinia sint cum armis transgressi. Nunc in ea parte bellum est, cum consuetis huiusmodi condicionis calamitatibus in innocuos vicorum et urbium habitantes crudeliter saevientibus. Multa certe de iis in diariis sunt legenda.

Diuturno a pluribus annis tumultu debilitata, Zairiana civitas, etsi in ea re in iure suo stet contra eos qui eius confinia sunt transgressi, se apte defendere iam non valuit. Exercitus nationalis milites, stipendio debito a plurimo tempore non accepto, omnique disciplina labefacta, furtis et praedationibus ut sibi et suis praefectis victimum procurarent assuefacti, nullum iam habuerunt animum belli pericula obeundi, at fugam potius ante hostes capessiverunt, aut meliora stipendia promittentibus se dederunt. Sic plures orientalis partis urbes in manus rebellium et eorum sociorum facile devenerunt.

In urbe Bukavu archiepiscopus huius loci, Exc. D. Christophorus Munzihirwa, idem et lesuita, qui ab anno 1980 usque ad annum 1986 Praepositus fuit Provinciae Africæ Centralis Societatis Iesu antequam ad episcopatum est promotus, ab hoste crudeliter est interfactus. Fortibus enim monitis et scriptis quibus pacem et socialem iustitiam moderatores regionis et potentiam habentes docebat, ingratus factus, rerum quoque eventum et aggressionem Ruandanicam aperte praevidens et praemonens, insidiis captus est prope Iesuitarum domum ad quam properabat, et mortificatus. Quod non forte accidit, ut quidam diurnarii autumarunt, quasi caecis insidiis malā fortunā esset corruptus, sed unum telum in cervices singillatim immissum accepit, dum autoraedarius eius et miles Zairianus qui custos ei comitabatur, sclopeti machinalis telis confossi occubuerunt. Quo facinore peracto interfectores, verisimilime Ruandani milites qui trans confinia

regionis transgressi ad hoc venerant, cadaver in loco aperto sedens composuerunt et unum integrum diem, obsequiis debitis vetitis, ita exposuerunt ut omnibus per hunc locum praetereuntibus Episcopi interfactio aperte innotesseret. Postea Patribus Jesuitis licuit eum sepelire, sed quasi secreto, cum alios urbis religiosos ad obsequias invitare essent vetiti. Notandum est etiam Excellentissimum Dominum Christophorum lucide comperisse se in maximo vitae discrimine versari. Paulo enim ante hos eventus, cum in urbe Kinshasa versaretur ut Episcoporum interesset conventui, quibusdam Societatis Iesu sodalibus hoc suum periculum aperte significavit, addens se nihilominus in suam debere reverti dioecesim quoniam in medio suorum ovium in discrimine versantium oportebat se esse. Ergo scienter mortem est agressus. Omnibus fortitudinis in officio adimplendo dedit exemplum.

Nunc autem aliquot urbes orientalis partis Zairis in dicione sunt redactae rebellium a Ruandanis Ugandanisque adiutorum, nec scimus quoque.

Quod maxime pessimum est, meā sententiā, non ipsa est aggressio qua vicinae nationes, limites regionis transgressae, urbes Zairianas insident, sed quod instante nationali discrimine, politici homines a mutua aemulatione neconon a vanis inter se iurgiis de magistratibus obtinendis nullo modo abstinere curant. Cum omnes, cunctis cessantibus causis, uno deberent esse animo, ne commune bonum detrimentum capiat in primis caventes, litigare idem pergunt et sine pudore digladiari de proprio ambitu. Qua re comperta, in conventibus quibus diversi nationum magnates res componere conantur, Zairiani moderatores, quidquid est de eorum iure, iam nullam obtinent observantiam.

His autem novissimis temporibus, hae pessimae condiciones paulum in melius videntur mutatae. Mobutu enim Praeses, quamquam graviter aegrotans, - et quiquid est de reprehensionibus exprobationibusque in quas merito cecidit - in suam principem urbem Kinshasam revenit, ibique aliquot dies demoratus, novam suo gubernio dedit auctoritatem. Praeterea




novum designavit militum imperatorem, Generalem Mahele, quem omnium copiarum ducem praefecit. Mahele ille Generalis rarus est inter huius civitatis praefectos militum qui suum obtinuit officium non politico ambitu sed verā virtute peritiāque in scholis militaribus Belgii et Francogalliae acquisitā. Fama fert eum integrum esse nec corruptum. Iam ante aliquot annos exercitum imperaverat, sed postea, collegis ipsius integritate incommodatis insidiantibus, ab imperio fuit amotus. Nunc autem, necessitate urgente, copias clade profligatas Praeses eius auctoritatē denuo commisit.

Mihi valde placuit audire novum imperatorem, cum in loco imperii advenisset, videntem quanta furta praedationesque milites commisissent, publice a popularibus veniam petiisse. Postea militum praefectos magistrosque qui in urbibus vicisque bona aliena essent praedati, qui et arma sua hostibus vendidissent aut qui de proelio turpiter effugissent, numero circiter triginta, exauctoratos militari tribunal iudicandos tradidisse. Tunc militum compos factus, eorum animis fortiter restitutis disciplināque ut decet firmatā, proelium cum hoste commisit. Sed novissimis nuntiis auditur Ruandanos et Ugandanos iam non secreto neque facta sua publice negantes ut primis temporibus, at nunc

aperte palamque copias suas trans fines suos mittere, quae rebellibus opem afferant. His novis condicionibus poteritne vincere Mahele Generalis? Res certe durae sunt futurae et valde difficiles.

In initio rerum, id est mense Octobri, in urbe Kinshasa, studiosi Universitatum studiorum, sua sponte nec ullo publico mandato instructi, Ruandanos in urbe degentes, plerosque a multis annis omnino pacifice, sed et multos matrimonio cum Zairianis unitos, pessime persecuti sunt tamquam inimicos nationis, eos bonis spoliaverunt, contumeliis verberibusque affecerunt, ac trans flumen Zaire in oppositam urbem Brazzapolim eiecerunt. Facilius enim erat et quaestuosius in inermes vindicare quam in acie cum hoste armis contendere.

Talis est ergo rerum Zairianarum condicio eo tempore quo haec scribo. At res cottidie moventur, et nationali exercitu, etiam animo et disciplinā restituto et a perito et forti duce nunc administrato, semper novae hostium copiae optime instructae opponuntur. Certe aliquando ad congressum colloquiumque de pace erit veniendum, sed gubernio maxima curae est ne Zairiani ut victi has tractationes debeat aggredi. ☩



# DE NOVAE VALLIS INCEPTO


SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

**F**ortuito evenit ut Fundationis Melissae moderatores Nubaeam lustrarent, cum ibi Aegyptiacae Rei Publicae praeses Hosnius Mubarak Iovis die 9 m. Ianuarii a. 1997 ingentium operum initium sollemniter inauguraravit. Quo incepto, Pharaonum operibus re vera non impari, efficietur ut Aegypti solitudines occidentales sive Libycas fiant fertiles et frugiferae.

In his solitudinibus iam sunt quattuor oases inde iam antiquitus florentes. Duæ præcipue notæ erant a Graecis Romanisque, quæ tunc vocabantur Major Oasis (hodie Kharga) et Minor Oasis (hodie Bahariyya).

Nomen Oasis primum legitur apud Herodotum (3,26), ubi imprimis designabat Maiores Oasim; postea factum est nomen commune omnium fertilitatis insularum quae in solitudinibus sunt sparsae. Maiores Oasim Graeci etiam beatorum insulam (*ἡ Μάκαρων νῆσος*) vocabant. Eius urbs caput, olim Hibis appellata, nunc Kharga, est sedes administrationis Novae Vallis incepti, cuius initium modo inauguraravit praeses Mubarak.

De qua re agitur? Ab anno 1959, indagationibus imprimis aeris, postea terrestribus, subsolanea terrae strata sunt explorata in regionibus quattuor oasium Farafra, Dhakla, Kharga et Bahariyya. Quibus indagationibus primum demonstratum est solum oasium non nimis longe distare a geologico strato gressio, quod, cum non sit permeabile, extentum aquae subterraneae lacum retinet. Quare illis tribus milibus fontium vel puteorum, qui iam priore aevo erant in usu, technici addiderunt trecentos triginta puteos profunde foratos (inter 400 et 1500 metra), quibus quattuor decem milia aridarum hectarearum fertilia iam sunt facta. Sed indagationes etiam monstraverant plus quam tres miliones hectarearum fertiles fieri posse, si quidem satis magna aquarum copia afferretur. Re vera non multo maior est superficies agrorum in tota Aegypto hodie cultorum, quae iam non sufficit ad



crescentem incolarum multitudinem alendam.

Ineunte XIX saeculo, tempore Mahometi Ali, qui habetur ut conditor modernae civitatis Aegyptiacae, tantum erant tres miliones incolarum. Nunc sunt plus quam sexaginta miliones atque eorum numerus quotannis augetur uno milione et ducentis milibus capitum. Cum adhuc nullum remedium allatum sit ad hoc effrenatum incrementum impediendum, regimen cogitat de agris circa oases, qui fertiles fieri possunt si quidem necessaria aqua adducitur.



His de causis propositum Toshka nomine elaboratum est, cuius opera m. Decembri a. 1996 sunt incohata. Aquae de lacu Nasserico motoriis antliis haustae infundentur in exundationis diacopum Toshka vocatum; inde ruent in diacopum inferiorem Sheikh Zayed, quem operarii modo cooperunt effodere. Hic diacopus longitudinem habebit sexaginta septem chiliometrorum, latitudinem triginta metrorum atque altitudinem sex metrorum. Per hunc alveum intra tres annos perficiendum, viginti quinque millones cubicorum metrorum aquae cottidie adduci poterunt in regionem Minoris Oasis (Arab. Bahariyya) ubi quadringenta milia hectararum et quinquaginta irrigabuntur. Necessaria opera aestimantur uno miliardo et octingentis milibus dollariorum. Postea, si satis magna aquae copia supererit, alii diacopi effodientur ad Maiores Oasim (Arab. Kharga) et ceteras irrigandas.

Sunt qui dicant hoc inceptum insanum esse. Pars aquae in adductione evaporabitur, aiunt. Minima pars (0,06 %), respondent incepti fautores. Plus re vera timendum est ne non sufficient aquae in lacu Nasserico retentae. Nili enim incrementum non est singulis annis eiusdem magnitudinis. Anno 1996 incrementum fuit eximie magnum, sed ante nonnullos annos ita parvum ut solum sufficeret ad Nili vallem irrigandam; nihil aquae tunc superfuisset ad Novam Vallem irrigandam!

In itinere Aegyptiaco nobis erat sapiens ductrix Cairensis quae regimen non magni aestimabat. Ei assensi sumus cum diceret tantam pecuniam utilius erogari posse in populo docendo educandoque; nullum melius remedium extare contra effrenatum incolarum incrementum nonnullaque alia mala, quae patitur Aegyptus.

## PROPOSITA NOVA EX AMERICA

*Novae res fiunt in America! Conventus! Commentarii periodici! Et haec omnia Latine! Professor Terentius Tunberg strenuus Latinitatis vivae fautor est horum propositorum auctor; de quibus haec nuntiat:*

### 1. De «conventiculo aestivo Lexintoniensi»

Si qui Latinitatis studiosi in Foederatis Americae Septentrionalis civitatibus exeunte mense Iulio itinerabuntur vel quibuslibet de causis commorabuntur, exhortamur iam nunc ut hi omnes Lexintoniam (in civitate Kentucky sitam) devertant, ubi inveniant alias linguae Latinae amatores, cultores, fautores - et confabulationes Latinas iucundissimas! Ilic enim a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1997 celebrabitur conventiculum Americanorum Latine loquentium (quod annua vice Lexingtoniae agitur).

### 2. De «Retiario»

Cupimus condere commentarios periodicos electronicos, quorum unus quisque fasciculus in interreti tantum exhibebitur, nec usquam in promptu erunt exemplaria chartacea (nisi quae imprimenda suo Marte curare voluerint legentes). Commentariorum nostrorum fasciculi bis in anno edentur. Hi commentarii (quibus nihil nisi Latine scriptum et compositum divulgabitur) in tribus

partibus consistunt:

- in prima parte edentur acroases, fabulae, carmina, alia id genus scripta, quae quidem editoribus sint probata. Primae huic commentariorum parti fere omnia argumenta et themata sunt idonea: res imaginariae, cottidianae, seriae, iocosae.
- altera pars est philologica, utpote quae tota contineatur commentationibus eruditis, quibus lingua litterae Latinae tractentur. Quamvis commentationes de Latinitate antiqua compositas, quae editoribus bene concinnatae esse videantur, nequaquam respuamus, expetimus in primis libellos et opuscula quae ad Latinitatem recentiorem, videlicet medium, humanisticam, posthumanisticam, modernam pertineant.
- propositum nobis est ut tertia cuiusque fasciculi pars librorum existimationibus dicetur.

Si de «conventiculo» et de «Retiario» plura scire cupitis, aut si symbolas vestras mittere vultis, legatis in interreti hanc paginam:

<http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/retiarius>

aut scribatis ad Terentium Tunberg, cuius inscriptio cursualis legitur in ultima huius fasciculi pagina; eius autem inscriptio electronica est haec: clatot@pop.uky.edu.



# MORTIS LIPSIANAE RELATIO INEDITA

IN LUCEM EDIDIT THEODORICUS SACRÉ

Ex Historia Collegii Societatis Iesu Lovaniensis, a.  
1606<sup>1</sup>

(...)

**E**xuberanti tam laetis fructibus sodalitati acerbum sane vulnus inflixit Justi Lipsii funus, qui vir gloriae capax magis quam cupidus, ut orbem terrarum ingenii ac doctrinae laude complevit, sic affectu semper animoque contempsit<sup>2</sup>, ideoque sodalitatis huius illustrissimum non minus quam saeculi sui ornamentum<sup>3</sup>. Vixerat Lovanii annos 13<sup>4</sup>, interim ad Deiparae cultum ita propensus, ut sicut ab eo stili et eruditionis, ita merito cultus Virginei ac solidae peterentur virtutis exempla. Sacris adhortationibus ita pascebatur, ut omnes assiduitate superaret<sup>5</sup>, ita legum observans, ut nihil religiosius faceret, sive confessione aperienda essent peccata, sive sacra synaxis adeunda<sup>6</sup>. Omnes denique genuini sodalis numeros ad amussim explebat. Sed in morte vel maxime pietas eius eluxit. Quasi illam praesensisset animo, ita sub initium morbi illud extrellum sibi temporis futurum praedixit. Prima ergo illum sollicitudo incessit Christianis sacris ad extremam luctam se communire, aliis omnibus curis exclusis; bibliothecae, quam habebat exstructissimam, litterarum, testamenti mirum silentium, nulla ceterarum querela<sup>7</sup>. Sed vel tacitus meditabatur aeterna, vel piis de Deo crucifixo aut eius matris colloquiis intendebat. Cum noster sacerdos ad omnem curam in eam patronam, quam stilo coluisse<sup>8</sup> et mente, collocandam hortaretur, languidis manibus pileolum capiti detraxit iunctisque suppliciter manibus caelum aspiciens «Utinam», inquit, «Mater omnium mihi his temporibus meis sit Mater. Atque ut ista mihi felicitas obtingat, per litanias, quoad licet, mi Pater, eam propitiemus.» Itaque eas recitari iussas moribunda quidem voce sed vivo pietatis sensu prosequebatur, et subinde, ut eius quieti consulerent subsistentes, sancta quadam impatientia revocabat ad cursum<sup>9</sup>. Erat enim illi iucundissima Virginis memoria, quodque illam a teneris ex animo coluisse<sup>10</sup>, iam morituro maximum aiebat esse solacium. Dum altius cogitationi cuiquam inhaereret, rogatus quid mente volveret,

«promissam», inquit, «divinitus laboribus mercedem»<sup>11</sup>. Denique facta dictaque eius Christianum philosophum ac verum sodalem arguebant<sup>12</sup>. Nam hortantibus quibusdam ut, de qua saepe disseruissest, Stoicam illam patientiam hoc suo tempore adhiberet, «Ista sunt», inquit, «deliramenta stultorum», digitoque in crucifixum intento, «illa, illa est vera patientia», inquit; «Domine Jesu, doce me me patientiam Christianam». Ut porro indulgentiarum particeps esset, dulcissima Jesu et Mariae nomina fractis et intermortuis vocibus vicies iteravit, inter quas felicem animam exhalavit<sup>13</sup>. Expiatam siquidem omnino credimus tum sacrificiis pro illa oblatis, tum doloribus aequo animo ferendis, tum Beatae Virginis toties implorato patrocinio, tum largitionibus piisque legatis. Nam et Graecam bibliothecam Societati<sup>14</sup>, Beatae Virgini pollicitam vestem admodum pretiosam<sup>15</sup>, sodalitati aliquis pauperibus non exiguum pecuniam legavit. Ita quae habuit pie distribuit, quae non habuit contempsit. Nec alias forte magis id patuit, quam cum saepe invitatus a Galliarum rege magnis opibus et honorario mille nummum aureum ac eo ampliori, ut ipsum Delphinum, regis filium, instruendum formandumque susciperet<sup>16</sup>, semper modestiae caussa honorem illum detrectavit aurea sua mediocritate contentus. Sed nihil vivacius hunc rerum humanarum contemptum spirat quam quod ipsem sibi condidit epitaphium, breve quidem, sed efficax et nervosum et, verbo ut absolvam, Lipsio dignum<sup>17</sup>. Atque hic exitus fuit ac fortunata mors viri doctrinae et virtutis gloria immortalis.

(...)

\*  
\* \*

*Relatio haec ex Annulis excerpta Litteris, quae singulis Societatis Iesu collegiis ad Praepositum provinciae Flandro-Belgicae atque inde Romam ad Generalem erant mittendae, neque statim post Lipsii obitum («cum maxime vera memorantur», ut ait Plinius Minor)<sup>18</sup> neque exeunte anno 1606 videtur esse exarata<sup>19</sup>. Nam (quantum scimus) ea quae annis 1542-1625 in Collegio S.J. Lovaniensi gesta sunt, anno circiter 1627 descripta sunt a Sidronio Hosschio S.J. poeta et scriptore Lovanii tum*



de gente<sup>20</sup>. Qui ad annales perscribendos documenta vetustiora tum apud Lovanienses servata tum aliunde petita in usum contulit suum. Nam relatio, quam heic primum edidimus, scriptiones hic illic redolet prius divulgatas, veluti Auberti Miraei Vitam Lipsianam (Antverpiae, 1609) et Gerardi Corselii Orationem in Iusti Lipsii funere habitam<sup>21</sup>. Utcumque ea se habet res, scriptoris studium non mirari non possumus; qui Lipsio tantopere favit, ut eum in caelitum prope numerum rettulerit. Nos lecta relatione paene exclamavimus «Sancte Lipsi, ora pro nobis». Scriptor enim rebus praetermissis multis biennium tacuit illud, quod apud Ienenses egerat Lipsius, cum Lutheranis astipulari diceretur, decennium item dissimulavit Lugduni in Batavis transactum, cum idem Calvinistarum partes amplecti existimaretur; nec mentionem quidem iniecit conversionis in fidem catholicam ecclesiamque Romanam Lipsiana. Immo, nuntio hoc primum lecto, virum credideris Societatem Iesu ipsum fuisse ingressum! At haec sententia famaque diu apud nostrates obtinuit, Lipsium avitae fidei pietatisque fuisse exemplum constantissimae, Desiderium vero Erasmus novarum in religione opinionum fuisse studiosissimum. De fide autem Lipsiana sive constanti sive inconstanti nostrum non est disserere. Unum dicimus, quod maximum esse putamus, virum illum fuisse in emendandis et illustrandis veterum scriptis felicissimum; ob id dignum esse, cum annus ab eius natali revolvatur quadringentesimus quinquagesimus, Iustum Lipsium qui honoretur.

#### ADNOTATIONES

1 Codex m.s. servatur Bruxellae in Archivo Regni Belgici (Iesuitica, Flandro-Belgica, L 985), f. 75r-v.

2 Cfr. e.g. Miraeus in *Vita Lipsii*: «Nihil est omnino quod hominem cuilibet magis gratum acceptumque reddat quam modestia; cui si virtus ac doctrina comites accesserint, tum quasi divinum quid in terris maximeque gratiosum solet exsistere. (...) Trias ista, si quem mortalium umquam, Iustum certe Lipsium beavit.» (p. XLIX)

3 Cfr. Miraeus in *Vita Lipsii*: «Ex Batavia Leodicum ut primum venit, in sodalitium Marianum (cui Patres Societatis Iesu praesident ac dirigunt) nomen etiam dedit atque oratione panegyrica publice habita suum in Virginem affectum testatus est. Id ipsum et Lovanii postea praestitit, atque in frequentandis assidue contionibus ceterisque id genus piis exercitationibus obeundis iuventuti non modo exemplum praebuit, sed et calcar addidit.» (p. LVIII)

<sup>4</sup> Leida Lovanium pervenit a.d. V Idus Sextiles 1592 ibique mortem obiit a.d. X Kal. April. 1606. Cfr. Corselius in *Oratione in Lipsii funere*: «Tredecim iam annos totos fruiti illo sumus. Utinam diutius licuisset!» (p. LXXII)

<sup>5</sup> Cfr. etiam A. Poncelet, *Histoire de la Compagnie de Jésus dans les anciens Pays-Bas (...)*, 2 (Bruxellae, 1927), p. 342.

<sup>6</sup> Otho Zylius S.J., scriptor non ignobilis, dum Lovanii studiis incumbit, Lipsium in aede Iesuitarum saepenumero conspiciebat: cfr. F. van Hoeck, 'Uit de geschiedenis van het Bossche jezuïetencollege (1610-1629)', *Bossche Bijdragen*, 14 (1936-1937), 165-206 (pp. 202-206).

<sup>7</sup> Cfr. Corselius in *Oratione in funere Lipsii*: «Atque haec omnia tanto spiritu, ut vix ullum alii de rebus sermonem nec inferret nec admitteret, idque per dies plures. (...) Fuit id multis admirationi, quod nec de scriptis ulla suis per tot aegritudinis dies, ullam unquam intulerit mentionem, qua in cura vitam omnem consumpscerat.» (p. LXXV). Eadem fere (ex eodem, ut opinor, fonte) narravit Miraeus in *Vita Lipsii*, p. LX.

<sup>8</sup> Cfr. Lipsii opera haec: *Diva Virgo Hallensis. Beneficia eius et miracula (...)* (Antverpiae, 1604); *Diva Sichemiensis sive Aspricollis. Nova eius beneficia et admiranda* (Antverpiae, 1605).

<sup>9</sup> Cfr. Corselius in *Oratione in funere Lipsii*: «Tum meditationi rerum caelestium et divinarum animum totum intendit, sollemnes Ecclesiae preces recitari iussit subindeque et ipse, quantum morbi vis sivit, recitavit. Subsistentes interdum a sacra lectione sacerdotes ne fatigarent vi morbi oppressum, uti pergerent assidueque legerent cohortatus est, asserens multum ea lectione animum affici.» (p. LXXV)

<sup>10</sup> Cfr. Miraeus in *Vita Lipsii*: «A prima adolescentia Divae Virginis amorem et cultum Lipsius induit eamque sibi patronam adoptavit et ducem in periculis, in molestiis, in omni denique vitae cursu elegit.» (p. LVIII)

<sup>11</sup> Cfr. Corselius in *Oratione in funere Lipsii*: «Cum in cogitatione aliqua defixus visus esset, rogatus quid animo volveret, 'Quid?' inquit, 'promissam divinitus laboribus meis mercedem'.» (p. LXXV)

<sup>12</sup> Cfr. Miraeus in *Vita Lipsii*: «Et certe non scriptis solum, sed et factis philosophum se Christianum mirifice comprobavit. Cum enim ex circumstantibus quispiam Stoicam illi apathiam suggestisset, 'Vana sunt ista', respondit, digitoque in Christi crucifixi imaginem, lectulo adstantem,

intento 'Haec vera est patientia' verissime subiecit.» (p. LX)

13 Cfr. Corselius in *Oratione in funere Lipsii* habita: «At postquam iam viribus defectis mors cominus agere cum illo coepit, tum vero magis magisque animum duravit et divinis intendit, voce qua potuit salutaria Iesu et Mariae nomina saepius inclamans.» (p. LXXV)

14 Cfr. Miraeus in *Vita Lipsii*: «Graecos autem calamoque exaratos codices Lovaniensi Societatis Iesu gymnasio attribuit.» (p. LXI)

15 Cfr. Ioannes Woverius, *Assertio Lipsiani donarii adversus Gelastorum suggillationes*, in *Iusti Lipsii Op. omn.*, o.c., pp. CXLIX-CLX.

16 Cfr. Epistola Iacobi Bongarsii ad Lipsium data Saraviponto IV Idus Oct. 1594 (in: P. Brumannus, *Sylloge epistolarum a viris illustribus sciptarum*, I (Leidae, 1727, num. 49)): «(...) Tous les plus beaux fleurons de scavoir ont honoré nostre France ou de leur naissance, ou de leur presence. Vous seul qui estes, certes, la fleur des fleurs, ny avez encores mis le pied. (...) Vous y estes désiré, vous y estes appellé, et ce par la voix de tous les gents de bien, par la voix du Prince, Prince duquel j'ay assez dict, quand je l'ay nommé. Son nom porte son los avec soy: sa Majesté m'a recommandé de vous en escrire et d'apprendre de vous mesmes votre volonté. Il vous offre telle profession à Paris, que bon vous semblera, et six cents escus de gages, avec moyens de faire le voyage. (...). Cfr. etiam epistola Lipsi ad Bongarsium data Lovanio postridie Idus Nov. 1594 (in: *Epistolarum selectarum centuria singularis ad Germanos et Gallos*, num. 21): «(...) Privati aliquot aspectus, an affectus, tenent; tum et publici, quod apud vos parum etiam serenavit. Quid si arma et bella, vis me involvi? Quis mei porro usus erit, nati et facti ad alias artes? Summa est: delibero; nec tu, si iudicium, non affectum solum, consulis, improbabis. (...)»

17 Cfr. (alios ut fontes mittam) *Iusti Lipsii Opera omnia postremum ab ipso aucta et recensita (...)* (Antverpiae, 1637), p. xcviij:

Quis hic sepultus, quaeris? Ipse edisseram.  
Nuper locutus et stilo et lingua fui;  
nunc altero licebit. Ego sum Lipsius,  
cui litterae dant nomen et tuus favor.  
Sed nomen: ipse abivi. Abibit hoc quoque;  
et nihil hic orbis quod perennet possidet.  
Vis altiore voce me tecum loqui?  
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas  
et scaenae imago et, verbo ut absolvam, nihil.

Extremum hoc te alloquor:  
aeternum ut gaudeam tu appicare.

18 Cfr. etiam epistola Francisci Paludani O.F.M. ineunte mense Maio 1606 de Lipsii obitu ad Superiorem data: A. Gerlo, H.D.L. Vervliet, I. Vertessen (edd.), *La correspondance de Juste Lipse conservée au Musée Plantin-Moretus. Introduction, correspondance et commentaire, documents, bibliographie* (Antverpiae, 1967), pp. 256-261.

19 Quamquam in lucem sunt editae *Annuae 1606* typis Moguntiacensibus, desideratur nuntius hic Lipsianus, ut patet ex indicibus anni 1606: cfr. *Annuae Literae Societatis Iesu anni M.DC.LI (...).* Accesserunt desiderati a pluribus indices Annuarum iam ante impressarum ab anno 1581 usque ad 1614 (Dilingae, 1658).

20 Significat hoc Hosschiana epistola m.s. ad Joannem Baptistam Engelgrave Provincialem data anno 1653 (quae Bruxellae servatur in archivo quod diximus, L 861): cfr. D. Sacré (ed.), *Sidronius Hosschius (Merkem 1596 - Tongeren 1653), jezuïet en Latijns dichter (...)* (Cortraci, 1996), pp. 28-30.

21 Cfr. *Iusti Lipsii Opera omnia*, o.c., pp. XLIX-LXVIII et LXXI-LXXVI.




Nobis gaudio est nuntiare ortum novae associationis qua lingua Latina foveatur. SCHOLA NOVA est societas non lucrosa ab amico nostro Stephano Feye condita; eius scopus: promovere linguam Latinam et Graecam atque, generaliter, cultum civilem. Adultis acroases proponuntur de variis argumentis. SCHOLA NOVA, ut ipso nomine intellegitur, imprimis pertinet ad discipulorum educationem: schola enim privata est condita, in qua studia humaniora coluntur methodis peculiaribus: ut exempla praebeamus, scientiae et mathematica cum litteris arte coniunguntur, sensus criticus ita inculcatur ut iuvenes fiant cives periti, lingua Latina docetur ut lingua viva et moderna.  
Si quis plura scire cupit: Schola Nova, rue du Moulin, 1 - B-1315 Opprebais; tel. 010/88.10.41 aut 010/88.93.75



# VETUS PUTEUS

COREANICE SCRIPSIT OH JUNG-HEE, IN LATINUM CONVERTIT NICOLAUS GROSS



Mane diei natalis mei quadragesimi quinti sicuti semper exercefacta sum horologio parietali, quod ordinaram ad horam

sextam. Hieme evadente sol paulatim manebat diutius, quasi summis digitis insisteret, ita, ut radii matutini tenere invaderent tenebras in dies per singula strata dilucescentes. Excitata sum inter res mihi consuetas et familiares, inter ahenum oryzae electricum et focum gasicum et sartaginem, quae hic et illic, locis quidem aptissimis, deposueram, et armarium frigidarium, quod tam detritum et vetustum erat, ut magnum sonum ederet motram. Cum agerer, breviter cogitavi me modo natam nullo modo fingere potuisse, num talis futura essem, qualis nunc essem post quadraginta quinque annos. Hoc fortasse fuit extraordinarium huius diei. Illo die vere incipiente illius anni - qui dies vix distulit ab hodierno - transgressa sum in rete temporale eo, quod veni ex utero feminae triginta tres annos natae, quae ex anno aetatis vicesimo tertio per decennium altero quoque anno pepererat et fortasse speravit me esse ultimo loco natam. Quae postea per alterum decennium edidit liberos. Cum essem octo annos nata, ultimum peperit puerum; tum uterus eius corrugabatur tamquam prunum siccatum. Nulla erat peculiaritas, qua dies natalis meus memoriae mandaretur. Utrum illo die vernali fuerit tempestas ventosa an pluviosa an suda an nubila, ineptum est quaerere e matre mea vetula, quae interim effectu morbi Alzheimeriani etiam oblita est, quomodo per scalas ascendatur. Ei ut ultimae filiae gentis agricolarum fecundissimae haud scio an puerperium visum sit res tam solita et naturalis quam castanearum casus sonorus aut stridula distributio seminum balsaminae per ventum facta.

\*  
\* \*

Recordor illud tempus, quo natus est frater meus minimus. Avia mea cucurbitam purgatam

oryza compleverat. Obiecta lamina alga marinae siccata eandem in pluteo conclave interioris collocaverat, ut immolaret deae infantium. Deinde fascem stramenti puri attulerat in conclave interius. Num homines quoque infantes suos pariunt super acervis stramenti? Haec quaestio mihi in mentem venit, sed, cum non liceret aliquem interrogare, eo attentius et secretius conclave interius inspectabam.

Avia mea obstipaverat focum hypocaustum cremiis aquamque in aheno ferreo contentam calefecerat. Per totum vesperum audita erat aqua leniter bulliens vaporque calidus erat condensatus. Nemo quidem narraverat, sed cum adulti essent tam inquieti, agiles, cauti, clandestini, scilicet nos parvulos suspicatos esse matrem esse paritum infantem.

Avia sorori meae maiori mandaverat, ut ante occasum solis ad veterem puteum aquam hauriret, ut magnum urceum compleret. 'Ne sinas' inquit, 'incidere capillum neve salivam inaniter blaterando; alioquin mala fortuna nos persequetur.'

Haec verba ab avia severe addita sunt. Cum puderet sororem quindecim annos natam iter facere ad aquam hauriendam, alioquin vultum distorquebat, sed nunc sine fremitu situlam pensilem comprehendit. Evidem eam secuta sum cum situla haustoria. Dum magnam arborem, quae umbrae suae causa ad quiescendum adhibebatur, praetergredimur, usque ad veterem puteum migravimus, soror ne semel quidem os aperuit. Postquam cum aqua domum revertimus, avia primo probavit, num libera esset a purgamentis stramenti, patinam albam aqua complevit eandemque tulit post xystum urceorum liquaminis soiacei. Tum patinam Deae coquinariae destinatam de margine foci sumptam aqua complevit. Pater meus non conspectus est. 'I foras, queso. Infantes a feminis tantum pariuntur.' His dictis avia eum abnuens emiserat. His videtur dixisse virum non esse utilem nisi in liberis gignendis. Nos parvuli congregati eramus in conclave superius, quod calefactione deficiente frigidum erat. Simulabamus quidem nos animum adhibere ad ludos nunc molestos, sed aures nostrae directae erant ad conclave interius, e quo gemitus matris nostrae audiebantur. Ne lusu filorum et lapillorum quidem nunc oblectati sumus. Neque rixati sumus, quod

alioquin congregati semper faciebamus. Voci aviae dicenti ibi conspici guttam roris aut exire liquorem amnioticum aut portam non satis apertam esse aut nondum paratam esse rem, intermiscebantur clamores dolorosi matris, quae clamabat 'Heus, heus, mamma, heus mamma.' Quandocumque mater clamabat, sororcula mea umeris sublatis dicebat: 'Non nubam, non pariam.' Cum dixisset mammam Tsongoci, uxorem pollinctoris, mortuam esse in puerperio, frater meus secundus a maximo caput meum pugno impegit, ut gemerem. Inquieti perreximus aures nostras dirigere ad voces inter se mixtas et gemitus doloribus pariendi effectos, e conclavi interiore venientes, quod illuminatum est usque ad multam noctem, vestiti obdormivimus, huc et illuc strati, bene mane ultro excitati sumus. Vix adfuerunt radii solis, sed charta oryzacea ianuae conclavis imposita tam lucida erat, quasi per totam noctem nix cecidisset. Affectus animorum erat pacificus, quasi transacta esset res perquam maligna. Aspecta mensa, quae erat obsita vasibus oryzae et sorbitionis algarum, cui innataverunt ocelli pinguaminis, intelleximus matrem peperisse infantem, cum nos dormiremus. Medium conclave ingressi in parte frigida invenimus acervum stramenti et glomus lavandorum, quae erant convoluta et sanguine oblita. Infans dormivit inspirans aera foetidum atque calidum, quasi admixtum doloribus nocturnis et foetori sanguinis, sudoris lactisque materni. Indutus autem erat eadem iacula, quam nos maiores nati unus post alium iam gesseramus, quasi a nobis recepisset breve spatium vitae, quod nos modo reliqueramus. Avia nostra in aulam posticam iit, ut combureret funiculum umbilici et acervum stramenti sanguine oblitum. Mundus, e quo nos veneramus, mutatus est in fumum obscurum fuliginemque, evolavit et decidit in patinam albam, quam avia prima luce compleverat aqua veteris putei et imposuerat xysto urceorum liquaminis soiacei. Hoc modo valediximus mundo, qui manebit mysterium sempiternum.

Aula nobis insciis everriculo iam erat purgata. Pater noster napuras nexas, inditis carbonibus ligneis rubrisque capsicis, super portam domesticam affixerat, ut alieni scirent sibi vetitum esse, ne introirent. Tum iimus in scholam parvos pedes nostros aulae imprimentes, in qua nullius ante trita solo conspeximus vestigia scopae gramineae adhuc conspicua. Ceteris parvulis, in quos incidimus iter facientes, susurramus quasi secretum pandentes mammam nostram infantulum peperisse, nos accepisse fraterculum.

\*  
\* \*

Circa infantem neonatum haud scio an sit quaedam aura, quidam affectus animorum tristis et tranquillus. Nos omnes sanguine obliti nascimur inter femora miserae mulieris varicatae. Tum gradatim vitam inimus quasi ingrediamur viam iam notam. De vita plerumque cogitamus nimis absurde nimisve commode. Sepulchra visentes simul afficimur duabus commotionibus inter se contrariis: una sentimus vitam hominis plura valuisse quam dies, quibus natus et mortuus esset, altera, vitam nihil valuisse nisi hos dies.

Lapis sepulchralis, cui inscripta sunt totum curriculum vitae meritaque, si comparatur cum lapide, cui nihil inest nisi dies natalis et dies mortis, tibi videtur esse ratio exiliter redditia aut oratio supervacanea.

\*  
\* \*

Quid valet spatium quadraginta quinque annorum ad vitam hominis? Hoc spatio fieri potes dives aut pauper, praeses rei publicae aut magus, nisi iam mortuus es, forma aquae, ignis, pulveris, venti, in montes et fluvios ultro disiectus et dissipatus. Haud scio, an fieri potuerit, ut per mille chiliometra mare transnavigarem, ut prope circulum aequatorem in insulis Galapagonibus invenirem exempla evolutionis inde a mundo creato exorta, aut ut in Africa me dederem medicinae humanae, aut ut in insula desolata vitam Robinsonis Crusoe degerem, aut ut essem propheta in vasto campo clamans aut ut scriberem librum mirabilem, quo caneretur ordo naturalis florum florentium et viescentium, aut ut essem saltatrix nudis pedibus in gramine saltans, aut ut scriberem librum de lege massae conservanda, de quaestione animae, de reincarnatione et transmigratione animarum aut ut essem alchemista, qui plumbum et ferrum mutaret in aurum, aut ut stellis caeli nocturni aspectis cognoscerem, quo mihi eundum esset.

Sed nunc vivo in parvo oppido provinciae ut domiseda mediae aetatis, laborans migraena chronica et haemorrhoidibus, quae, cum gravida essem, effectae sunt obstipatione. Lego carmina et tractatiunculas, quae nunc in more sunt, aspecto nuntios televisorios legoque bina acta diurna, una conservativa, altera progressiva - hae sunt fenestrae, per quas aspecto mundum. Praeterea semel in mense in schola filii mei particeps sum colloquii parentum, bis in septimana tabernas frequento, ire soleo, semper per easdem vias et angiportus, semel in septimana in balneum absinthii, die Martis in instituto medicinali corpore debiles adiupo in therapia physica. Si qua orchestra aut qui musicus illustris huc venerit, quod

admodum raro fit, vespere optimo vestimento induita una cum marito eo auditum.

Id quod modo de insulis Galapagonibus dixi, videtur memoriae meae inhaesisse, postquam nudius tertius vidi nuntios televisorios, quibus relatum erat de incendio ante septimanam in illa regione exorto, quo vexarentur rara animalia ibi degentia. Sed fortasse insulae Galapagones potius in mentem mihi venerunt propter nomen 'Dodo', quod filius meus imponit rebus, quibus utitur. Qui, cum interrogassem, quid significaret 'Dodo', mihi explicavit, hanc esse speciem avium ante quadringentos annos extinctam, quae facultate volandi orbata esset. Nonne omnis homo adultus ipse, si recordatur annos suos iuveniles, se considerat ut speciem extinctam quasi mytho addictum? Nonne hoc modo ostendit timorem et taedium morum et conventuum, ad quos oportet se accomodet?

Vivimus superficialiter, quia parum scimus res animo fingere. Me, quamvis haud sentiam aliqua re graviore caruisse, breviter deliberasse de facultatibus, quae mihi desunt in vita mea, nescio an effectum sit eo quod momento temporis pes meus quodammodo offendit anulum annalem recenter mihi additum. Sed scio nunc partes meas aptas praeparare in nuptiis et in funeribus gerendas gloriorque de rebus, quae mea manu ordinantur. Haud ignoro saporem, qui fit allio et zingibere commixtis diligoque ordinem pannorum eluendi et purgandi, sed scio etiam interdum refugere ordine sublato.

\*  
\* \*

Postquam maritus et filius ientaculo propere sumpto abierunt ad operandum et scholam frequentandam, latrinam purgatura tranquille subrisi. Maritus meus saepe obliviousit uti elutione sellae familiaricae, quamvis alioquin magni aestimet munditias. Numquam eum commonefeci huius negligentiae. Cui salarii acceptori professio haud male successit, est mediae aetatis, qua viri paulatim fieri solent calvastri et obesi, est aptus et habilis in operando, potando, concumbendo. In eo vix aliquid invenio, quod monet me pueritiae similiter ac mihi vix ullum vestigium inhaeret famis magnae, kleptomaniae, torminum, spumae flavae evomitae ascaridis effectae. Tamen, si aspecto eum dormientem genitalia manibus obtegentem, coxim in latere collocatum aut stercus eius innocens forma originali in aqua sellae familiaricae situm, quia oblitus est uti elutione, recognosco et virunculum tamquam semen immutatum ipsi viro senescenti penitus insitum et vestigium pueritiae pauperis et

puerum alvo exonerata stercus proprium curiose et consernante considerantem.

Fuit condiscipulus quandam mariti mei maior natus, qui ruri in provincia Ciongsangdo coluit pomatum. Cum maritus tecum eum visitaret, ille una cum uxore sua modo commiscebatur stercus et gramen, ut congereretur compostura. Uxor eius, cum sibi iniucundum esset tantum foetorem effecisse, mihi dixit: 'En quam bellum et versicolor est stercus putrescens!' Tum ego respondi: 'Haud scio an homines amiserint indolem suam naturalem, ex quo non iam aspiciunt stercus proprium'. Hi coniuges diu ante in Germania nondum readunata studuerant disciplinae pernoscodae. Brevi antequam ad doctoris gradum promoveri voluerunt in provinciis litteraturae theodiscae et paedagogiae, implicati sunt quodam casu secreta speculandi, ut cogerentur praemature in patriam reverti. Causa iuridica finita per annum in custodia fuerant. Condiscipulus mariti mei in custodia dimissus inciderat in mirum morbum, quae appellatur agoraphobia. Qui cum plus duobus chiliometris remotus erat e locis sibi consuetis, laborabat vehementi cordis palpitacione et animi commotione. Etiam ei in patriam suam ruralem reverso diutius erat ambulandum oculis panno nigro obvelatis, ut animus ad nova circumiecta cottidiana assueficeret. Itaque uxor eius autocinetu vexit nos ad stationem laophoricam. Ille 'migrare' inquit 'semper desideraram. En quantum ironiam fortunae', addens se gloriari, quod electus esset agricola novellus, in vanum ridens, cum nobis valediceret iam in pometo, ubi abundabant flores malini.

\*  
\* \*

Habitaculum, cum purgatum esset, mihi videbatur multo desertius et tranquillus. Hirnea theana foco imposta telephoni auscultabulum de pariete coquinae deposui. Post numerum praeselectorium etiam celeriter et fortiter plectra impressi numeri reliqui. Signale late sonabat. Decies, quinquies decies, vicies. Reposui auscultabulum et agitavi aquam calidam pocilli theani... 

*(altera pars legetur in proximo  
Melissae fasciculo)*

# INGENUUS - SERVUS - LIBERTUS (IV)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

## III. LIBERTUS

APOLLINI  
 C . AVRELIVS . C . L .  
 VERVS . NEGOTIATOR .  
 BRITANNICIANVS .  
 MORITEX . D . D (donum dedit)  
 L . D . D . D . (loco dato decurionum decreto)<sup>1</sup>

Ecce lapidem (CIL XIII 8164a) Apollini deo dedicatum a liberto c.n. Verus (linea 3). Apollo deus tutela quoque erat nautarum; Aquisgrani (v. Aachen) fontes exstabant medicati itemque sanctuarium dei Apollinis. Ille lapis niger caedebatur e lapicidinis illius regionis.

Hic agitur de liberto Vero, qui post manumissionem praenomen nomenque gentilicium adoptaverat patroni: Caius Aurelius. Negotiator Britannianus erat, i.e. redemptor, susceptor, exercitor navis, navicularius. Moritex vocatur: Theodisce - verisimiliter - «Reeder», Francogallice «armateur». Vox *moritex* e lingua Gallica ducta esse videtur.

Illa littera L in secunda linea littera initialis est vocis «liberti»; nonnumquam etiam tres litterae initiales apparent in titulo: LIB.

A patrono, i.e. a magistro navis, peculium acceperat, forsitan quandam pecuniae summam. Plenipotentiarius factus, i.e. socius patroni, contractus pacisci ei licebat, pecuniam comparare et erogare, mercaturam facere suo lucro, non autem suo damno, i.e. damno pertinente ad patronum.

Possessor talis navis servo manumisso persaepe e vita activa mox se recipiebat et habitabat in urbe.

Magister et libertus hic aequales erant: *societas libertatis causa* (Klio: «Beiträge zur alten Geschichte», Berlin, 1981, p. 365) nomen erat talis coniunctionis intentionum communium.

Tales liberti, negotiatores, saepe ditissimi raro auctoritatem petebant socialem: mores imitabantur ingenuorum divitum, sed raro asciscebantur in classem sive ordinem possessorum, satis habebant vivere in margine societatis.

Tales negotiatores Britannianiani e.g.

mercaturam faciebant non solum cum Britannis, sed etiam cum Germanis, Gallis, Hispanis, cum regionibus circum mare Mediterraneum sitis. Non solum negotiatores, sed nautae quoque eorum corporati erant in collegiis.

Coloniae Claudiae tale exstebat collegium negotiatorum Britannianorum: e Britannia servi exportabantur, pelles, capilli feminarum, sucinum, linum, tapetia. In Britanniam importabantur vasa, lana, panni, tegulae, farina, volucres, anseres etc. (Joan du Plat Taylor, *Shipping and trade in Britain and the Rhine Provinces*, 1978, London, p. 62). Multae merces etiam e regionibus ad mare Mediterraneum adiacentibus advehabantur, e.g. oleum olivarum, vinum, seplasia etc. Ceterum vasa quoque transportabant in Germania confecta: vasa terrae sigillatae, fictilia, vitrea, metallina etc. Merces liquidae ac sal generatim amphoris cupisque transportari solebant, in quibus promovendis bini servi erant necessarii: tanta moles erat cupas promovere in naves. Negotiatores Britannianiani, generatim liberti, allecarii erant, cretarii, salarii, vinarii, olearii.

Quod attinet ad manumissionem: manumissio exercebatur secundum *ius civile* aut *ius praetoris* et *manum*, i.e. potestatem patroni (*manus*: Theodisce «Herrenrecht», Francogallice «droit du maître»). Varia exstabant manumissionis genera in antiquitate (G. Fabre, *Libertus*, Lille, 1982, pp. 15 sqq.):

1) *manumissio vindicta* (caerimonia erat ritus religiosus): patronus et servus ad praetorem se conferunt una cum quodam cive qui tamquam «adsertor in libertatem» munere fungitur accusatoris. Qui servum genibus nixum pilloque tectum baculo («vindicta») tangit formulam quandam recitans confirmansque hominem nunc esse liberum. Patronus intercessionem renuntiat talique modo adsertoris sententiam agnoscens. Mox autem haec forma abolebitur patronusque ipse vindicta servum tangit magistratu lictoreque adstantibus.

2) *manumissio censu* in initio plus minusve actio erat militaris: manumittendus patrono assidente nomen suum in indice civium inscribendum curat tamquam civem ingenuum. Tales census sexto quoque anno habebantur; aetate autem

principatus illa census forma abolebitur. Manumissio censu censore curante invalida est sine patroni assensione.

3) *manumissio testamento*: dependebat a voluntate domini, qui de servo suo disponebat quasi esset merx. Ad patronum pertinebat decernere de re requisita ac in potestate sua (G. Fabre, *Libertus*, p. 8). Dominus in testamento voluntatem suam ad manumissionem pertinentem certa formula scripta exprimit, e.g. «Afer servus meus liber esto» aut: «Afrum meum servum liberum esse iubeo». Ubi cumque testamentum valere coeperit, servus libertatem obtinebit a testatore, qui tali modo patronus liberti fit, i.e. liberti Orcini, quia patronus nunc versatur in Orco.

4) *Fideicommissum*: tempore ad testamentum conscribendum deficiente testator heredem aut quendam alium cui servus sit tradendus fideicommissio onerat servo manumittendo. Illi heredi tali modo onerato servus erit manumittendus quodam documento inter viros confecto: ipse heres tali modo patronus fiet liberti. Inde ab anno 312 a.C.n. tali modo civitas acquiritur Romana.

5) Inde a Constantino imperante dominus ante episcopum et fideles in Christianorum ecclesia congregatos *manumissionem in sacrosanctis ecclesiis* pronuntiare solet.

6) Decursu temporum *manumissiones praetoriae* quoque exstant, e.g. ante testes: *manumissio inter amicos*.

7) *Manumissio per epistulam*: liberti tali modo manumissi iure et de facto sunt in libertate, i.e. iure sunt domini. Manumissori non licet contra eos *vindicationem in servitutem* machinari.

Augusto imperante, cum permulta milia servorum a dominis manumitterentur, novae leges ferebantur, quibus manumissiones inconsideratae vitarentur. Secundum legem Aeliam Sentiam (a. 40 p.C.n.) statuta aetas minimalis manumissoris 20 anni erant, et servorum 30 anni.

Libertis sive libertinis quamvis sui iuris essent civesque Romani essent facti, tamen non eadem erant iura ac ingenuis: sub patronatu erant, et tali modo in tutela manebant manumissoris. Libertis initio eadem iura erant ac hospitibus peregrinis, i.e. clientes habebantur. Mox autem patroni erat libertum tueri, liberti erat patrono oboedientiam reverentiamque praestare.

Infantes libertorum ingenui erant. Patronus secundum *legem dativae tutelae* responsalis erat infantium minorum natu libertorum et libertarum.

Manumissor iam ante manumissionem *operas* iure iurando promittendas curare solebat, quarum promissio constanter post manumissionem iure iurando iterato aut forma *stipulationis* erat

repetenda. E promissione *actio operarum* peti poterat.

Beneficio imperatoris liberto status ingenui conferri poterat (*natalicium restitutio*).

*Ius anuli aurei* generatim ingenuis reservatum si liberto conferebatur, ad minora tantummodo pertinebat iura socialia.

Decursu temporum, i.e. praecipue aetate antiquitatis serae, alii quoque oriebantur gradus intermedii alterius generis, e.g. *colonatus*. Illi coloni independentes erant conductores minores quibus agros deserere non licebat, invicem possessori fundi non licebat illos ex agro expellere neque fundum vendere sine colono. Initio tales coloni quoad personam erant liberi; mox autem peioribus condicionibus oeconomicis expositi servis fiebant similes.

Operae libertorum magni momenti erant in vita oeconomica antiquitatis, de quibus vix quisquam pro dolor in antiquitate rettulit litteris. Patrono non licebat libertum obligare, ut pecunia se redimeret, liberto invicem licebat pecunia persolvenda se liberare ab operis. Ceterum agebatur de *operis dierum integrorum*, non horalium, quae iure iurando erant promittendae, aut agebatur de *formula stipulationis*. Numerus operarum constituendus inter unum diem differebat et mille dies, quorum temporis spatium operarum tres annos excedere vix solebat.

Operae quodammodo praestatio pro beneficio manumissionis aestimabantur. Respicienda erat valetudo liberti, aetas, vitae habitus. Excludebantur: turpes opera (e.g. pudicitiae prostitutio), opera quae periculum vitae implicarent, opera non promissae. Operae erant amissae si servo aegroto erant indictae, si eaedem opera iterum erant indictae, si non erant indictae.

Distinguendum erat inter:

1) *operas officiales*: quae delegari non poterant, sed pertinebant ad dominum tantummodo et infantes («sibi liberisque suis»): haec clausula saepe adiungebatur;

2) *operas fabriles*: quarum delegatio comprobabatur: locari poterant e.g. amicis patroni; tali modo libertus celerius se liberare valebat e debito e.g. ab obligationibus pecuniariis.

Operae praestandae a patrono erant indicandae.

In domo patroni habitare libertus cogi non poterat; ad domum patroni autem se conferre debebat.

Dies itinerarii inter operas praestatas erant numerandi. Impensae itineris a patrono erant persolvendae. Alimenta et vestimenta liberto a patrono erant suppeditanda.

Operarum obligatio extincta erat:

- 1) si liberta patrono nupserat;
- 2) si libertus duos aut plures infantes a se genitos habebat in potestate;
- 3) si liberta maior erat 50 annis;
- 4) si patronus libertum aut libertam impediverat, ne matrimonio se iungeret.

Condiciones libertorum V saeculo a.C.n., i.e. aetate *legis duodecim tabularum*, meliores erant quam IV, III, II saeculis.


Ad patronum pertinebat illud *ius portionis legitimae*: si libertus mortem obierat sine testamento et sine filio sive filia.

#### ADNOTATIO

1 Re vera illa puncta in lapidibus sepulcralibus triangula sunt foliumque hederae plantae imitantia. Hedera planta est quae et vere et aestate et autumno et hieme viridis est, numquam mori videtur. Symbolum ergo erat aeternitatis, i.e. vita aeterna. Qua de causa in permultis titulis lapidum monumentorumque sepulcralium incidi solebat. Ceterum simili modo serpens saepe invenitur in talibus operibus caelatis. Serpens dormiens gyrum fingit. Gyrus in antiquitate symbolum erat aeternitatis: temporis sine initio et sine fine. Pulchrum ergo erat symbolum monens de aeternitate, quia homo defunctus requiescensque sub illo lapide sepulcrali sperat se vita aeterna frui posse in ulterioribus.

(ultima pars sequetur)

## LIBRI ET LIBELLI



**Maniplus nugarum. Poemata hodierna Francogallice Latine Theodisce Estonice Flandrice condita, Domus editoria Rainardi Brune, D-42799 Leichlingen, 1996.**

Hic parvus liber pulcherrime compositus, ut R. Brune editor facere solet, est collectio carminum non solum Latine, sed etiam aliis linguis conscriptorum. Quos cecinerunt M. Benedetti, H. Bertram, R. Brune, H. Geissler, G. Immè, C. Laes, S. Muller, J.M. Sanchez Martin, A. Van Dievoet.

**I. van KASTEEL, Servii Grammatici in Vergilii Bucolicon primum commentarius, Melissae Libellulus Primus.**

Ecce, ut nuper nuntiavimus, primus Melissae libellulus. Non dubitamus quin haec explicatio primi Bucolici plerisque videatur nova, quamquam ante multa saecula proposita est. Nam in scholis doceri non solet.

## CONVENTUS LATINUS IN ITALIA : Disputationes Montellenses

Omnis, qui sermonem Latinum vivum colunt, invitantur ad copiose et dialectice et amanter disputandum in agro Campano, ubi sunt Paestum, Pompeii, Cumae, Baiae, quem Romanus honos et Graia sapientia ornant.

Congrediemur enim Montellae, qui pagus prope Abellinum positus est, a die XXIV usque ad diem XXXI mensis Augusti.

Omnia vitae oblectamina, quae hic non desunt, sive iuga montium, sive caelum sudum sideribusque illustre, sive loca amoena prope iacentia, ad Latinitatem et humanitatem et suavissimos mores referemus. Hic erunt ludi, exercitationes dicendi et scribendi, hinc proficiscemur ad Pompeios invisendos. Varii instituentur greges, prout singulorum postulat studium et linguae Latinae notitia.

Has disputationes curaverunt instituendas moderatores omnes earum Sodalitatum linguae Latinae vivae colendae, quae sunt in terra Italia.

Si quis plura scire vult, litteras det ad Aloisium Miraglia, contrada S. Vito, 5 - I-83048 Montella (AV). Telecop. (0039) 827 601 643.

## ERRATUM

In Melissae fasciculo 76 p. 4, in ultimo paragrapho, loco «plurimas igitur gratias» lege «plurimae igitur gratiae».

**QUIS AESOPUS FUERIT** narrat Maria Brion discipula paenultimae classis in collegio Sancti Petri et Pauli (Bruxellis, sub magisterio Iohannis van Kasteel)

La Fontaine, quem novistis, auctor clarissimus fabularum, vitam Aesopi, qui fabularum genus invenit, narravit. Quis erat Aesopus?

Ille, servus, sexto saeculo ante Iesum Christum in Phrygia vivebat. Deformis natus est sed Natura optimam mentem ei dedit. Quidam mercator servorum nolebat eum emere; tam foedus Aesopus erat. Sed Aesopus ei dicit: «Eme me confidenter: non inutilis ero. Nam, ubi liberi tui improbi erunt, minaberis eis me ut Bestiam.» Mercator gaudet his verbis et ridens emit Aesopum.

Deinde Aesopus servus cuiusdam philosophi, qui Xanthus nominabatur, factus est. Quodam die Xanthus, qui aliquos amicos ad convivium vocare volebat, iussit Aesopum, quidquid optimum esset, nihil aliud emere. Statim Aesopus ad mercatum profectus est, ubi nihil aliud quam linguis emit. Quas perite, ut verus coquus, cum omnibus iuribus variis paravit. Linguis succedebant aliae linguae usque ad finem convivii. In primo, convivae hoc cibo delectantur, sed in fine non iam. Xanthus iratus dicit: «Nonne ego iusseram te quod optimum esset emere?» Et Aesopus respondet: «Quid melius est quam lingua? Nam lingua est vinculum vitae in civitate; lingua est clavis scientiarum, instrumentum veritatis rationisque; per linguam doctrina diffunditur et suademus in consiliis atque facimus illud primum officiorum, quod est deos laudare.» Tum Xanthus: «Cras mihi eme quidquid pessimum est; nam idem

homines in domum meam iterum venient.» Postero die Aesopus iterum eundem cibum attulit, dicens: «Lingua est pessima quoque res in mundo... Lingua enim, inquit, est mater quoque omnium litum, instrumentum omnium calamitatum, errorum, contumeliarum, fons bellorum, et eā - quod peius est - blasphemiae adversus deos dicuntur.» Xanthus autem tacet. Tum quidam ex convivis Xantho dicit: «Tuus servus tibi maxime necessarius est, nam patientiam philosophi exercere optime peritus es.»

Non solum magistro suo ingeniosus erat: aliquo Aesopus a Xantho missus erat. Magistratus ei obvenit et petiit: «Quo vadis?» Aesopus respondit se non scire. Magistratus iratus iussit eum ad captivitatem duci. Dum eunt, Aesopus dixit: «Nonne videtis me bene respondisse? Scione quo me ducatis?» Magistratus eum remisit et existimavit Xanthum fortunatum esse quia haberet servum tam ingeniosum.

Saepe Aesopus libertatem pro praemio ex eo petiit, sed Xanthus nolebat dare quia videbat honorem suum habendi talem servum. Quodam die Aesopus dixit: «Num Philosophi id faciunt quod dicunt? Sed etiam nolens, libertatem mihi dabis?» Quod factum est. Postquam liber fuit, fabulas suas scripsit. A Delphicis occisus est, accusatus quod ceperat vas sacrum. Ubi mortuus est, pestis facta est. Ut facinus repararent et Manibus Aesopi satisfacerent, ei pyramidem erexerunt.

**DE DUOBUS POTORIBUS STUDIOSIS** cecinit Sami Koski alumnus Finnus, discipulus Thomae Pekkanen

**DUO POTORES STUDIOSI**

Cum titubantibus ex cena pedibus redierunt paene omnes, adsunt duo potores studiosi multis se vini pocullis grati obruebant. Lente coepitque ebrietas oculos operire; ille obdormiscit, sibi carminibus placet alter. Tantum sed vini carmen rumpit vehementer. Terras tempore non longo interiecto oriens sol et silvas post noctem prima luce salutat. Gallum morosum nunc expergeficit, ille tunc ascendit purgamentorum in cumulum altum et caudam pennasque suas quatiens. Aperitur rostrum et vitatur nox cum gallus canit, edit voces tam raucas, quibus expergeficit omnes. Ex somno alto tum trepidant etiam duo amici. «Quis?» rogat unus. «Quis» renovans rogat

alter, "ubi et quid?" Voces tam cum iterum canit ardens terribiles sunt, ut putet alter vir iam ad portas Hannibalem esse cum magnis elephantibus atque exercitibusque. Ne expugnet Romam, nunc est aliquid faciendum! De mensa inveniunt ad bellum quae omnia opus sunt:

olla est cassis, vero ita, sint et opercula parmae, urbs defendenda est, clava os porci femoris sit. Per plateas incedit nunc agmen breve et audax ad campum vastum cum signis ridiculis ex cocta gallina factis. Hostes tamen absunt. Constituunt hos exspectare an sint reddituri. Mollis sedes est et opaca. Lagona aperitur...



# LATINE LOQUI ...

## SEMINARIA SOCIETATIS LATINAЕ

**Geldoniae (Jodoigne) in Belgica a die 17 in diem 24 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

**Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 27 mensis Iulii in diem 2 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

## DISPUTATIONES MONTELLENSES

**Montellae in Italia a die 24 in diem 31 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Aloisium Miraglia  
Contrada S. Vito, 5  
I-83048 Montella

## FERIAE LATINAЕ

**Nicaceae (Nice) in Francogallia a die 24 in diem 31 mensis Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C9  
500, rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

**Amoeneburgi (Amöneburg) in Germania a die 27 m. Iulii in diem 2 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser  
Kleeberger Strasse, 40  
D-35510 Butzbach

## NONUS CONVENTUS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

**Granivici (Jyväskylä) in Finnia a die 6 in diem 13 m. Augusti a. 1997**

Scribatis ad: Congressus ALF secretariatum  
P.O. Box 35  
SF-40351 Jyväskylä

## IN AMERICA

**Conventiculum Latinum**

**Lexintoniae (Lexington) in Kentuckia a die 24 in diem 31 mensis Iulii a. 1997**

Scribatis ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages  
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky  
Lexington KY, U.S.A (clatot@pop.uky.edu)

## SYMPORIUM LATINUM ACADEMIAE SCIENTIARUM MARINIANAE

**Arimini (Rimini) in Italia a die 1 in diem 5 m. Septembris a. 1997**

Scribatis ad: Veram Barandovska  
Kleinenberger Weg, 16  
D-33100 Paderborn